

Peter Sasse

**Rectore Academ. Magnificentissimo, Serenissimo Principe Ac Domino, Domino  
Friderico, Principe Vetusiae Gentis Henetae ... Festvm Pentecostale Pie  
Celebrandvm, Civibvs Academicis Honoratissimis Commendatrvs, De Fidelivm  
Nomine, Qvo Vocantvr Templvm Spiritvs Sancti**

Rostochii: Typis Io. Iac. Adleri, [1751?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn87671520X>

Druck    Freier  Zugang





T. 512.

—  
1751. Pfingsten

~~A-1256.~~ - 512.



R.R. 1721.

RECTORE ACADEM. MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE  
AC  
**DOMINO,**  
**DOMINO FRIDERICO,**  
PRINCIPE VETVSTAE GENTIS HENETAE,  
SVERINI IAC RACEBURGI, COMITE ITEM SVERINensi, TERRARUM  
ROSTOCHII AC STARGARDIAE DYNASTA,  
DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO



FESTVM PENTECOSTALE  
PIE CELEBRANDVM,  
CIVIBVS ACADEMICIS HONORATISSIMIS  
COMMENDATVRVS,  
DE  
FIDELIVM NOMINE,  
QVO VOCANTVR  
**TEMPLVM SPIRITVS SANCTI,**  
NONNVLLA PRAEFATVR  
PRO-RECTOR HODIERNVS,  
PETRVS SASSE,  
S. THEOL. DOCT. PROFESS. PUBL. AC p. t. DECANVS.  
NEC NON  
CONSIST. DUCAL. CONSILIARIUS.

ROSTOCHII,  
TYPIS IO. IAC. ADLERİ, SERENISSIMI DVCIS AVLICI  
& ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

M. 1256 312

RECOGNITIO MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPI

DOMINO ERIDERICO.

PRINCIPIE VESTITATE GENTIS HESIETAR.  
SERENISSIME RICHEBVRG COMTE LITEM SAVERNENSE TERRITORIUM  
ROSTOKI AC STAVRAVRIA DYNASTIA.

DOMINO NOSTRO CLEMENSISSIMO

FESTVM PENTECOSTALVM

PER CELEBRARIAM

CLAVIS ACADEMIE HONORATISSIMA  
COMMENDATIVAS.

ad

IDEALVM NOMINE

QD. SOCINTAR

TEMPLVM SPIRITALISANCII

NONVITA PRAESTATUR

PRO. RECTOR HODIENAS

PETRVS SASSE

THESEZ DOCT PROPHETAE PUBL AC E. DECIMAS


NIC. MON

CONSIL. DUCIV CONSILIARIA

ROSTOKI

TYP. IO. WIC. ADLER. SERENISSIMA DACS VALIO

E ACADEMIE TAGENIANI



**T**empli Hierosolymitani sanctiorem ac typicam rationem, qualis illa fuerit, luculenter nos docent sacrae litterae ac declarant: adumbrasse scilicet templum illud, vii antea tabernaculum, Christum ac praecipue humanam eius naturam Ioa. II. 19, ita tamen, ut simul totius corporis Christi mystici egregiam exhibuerit imaginem, exploratum est. Exitit sane typus totius fidelium coetus, qui ob hanc rationem vocantur *domus DEI* I. Tim. III. 15, *DEI domestici*, qui sint super Apostolorum ac Prophetarum fundamentum exstructi, Christo lapide angulari existente, per quem totum aedificium compactum crescat in *sacrum templum in domino*, Eph. II, 19. sqq. itemque *domus spiritualis*, I. Petr. II. 5. quo & LACTANTII, *Instit. diuin. Lib. IV. Cap. 13*, spectat effatum: *Ecclesia*, inquit, *est verum templum DEI*, quod non in parietibus est; sed in corde ac fide hominum, qui credunt in eum, ac vocantur *fideles*. Prout autem ipsa Christi ecclesia templum adpellatur; ita idem nomen singulis eius membris; siue illis, qui vera fide Christum, ut suum, amplectuntur, tribuitur, hincque etiam ad istos typica Hierosolymitani ratio spectat. Inter alia videmus hoc ex tribus locis Apostoli Pauli, in epistolis ad Corinthios scriptis occurrentibus, quo-

rum primus est : an nescitis , vos DEI esse templum ? 1 Cor. III. 16.  
 secundus : an ignoratis , vestrum corpus templum esse sancti Spiritus ?  
 1 Cor. VI. 19. & tertius : Pos viuentis DEI templum estis , 2 Cor. VI. 16.  
 Qui in hisce locis templum DEI dicuntur , non soli electi sunt , quem-  
 admodum reformatae ecclesiae doctores contendunt : sed omnes , qui  
 fide in Christum praediti sunt & propter meritum eius , vera fiducia ad-  
 prehensum , in iudicio diuino noxarum veniam impetrarunt ; siue tan-  
 tum ad tempus credant ; siue in sua fide constanter permaneant . Ex-  
 presso enim Paulus significat , corrumpi ac destrui posse templum hoc :  
 neue hoc à Corinthiis fieret , quantum periculum cum eiusmodi destru-  
 ctione sit coniunctum , addit dicitque : Si quis DEI templum corrumpit ,  
 corrumpet hunc Deus , 1. Cor. III. 17 , quod omnino frustra ac sine caus-  
 fa dictum esset , vbi hec soli electi intelligerentur . Inter eiusmodi fide-  
 les erant Corinthii , qui quamvis naevorum non fuerint immunes , &  
 varia imbecillitatis humanae dederint documenta , quum hominem , qui  
 incestu se contaminauerat , non eiicerent : de rebus saeculi huius habe-  
 rent controversias istasque ad iudices Paganos referrent : itemque li-  
 bertate christiana non ita , vti decebat , semper vterentur ; nec in rebus  
 licitis debitam adhiberent cautionem ; Apostolus tamen laudat illos , quod  
 non tantum dictati sint ἐν τοαῖς λόγῳ καὶ πρᾶῃ γνῶσται , sed & quod testi-  
 monium de Christo in illis firmatum sit , O quod nullo charismate careant ,  
 1 Cor. I. 4. sqq. Quumque eorundem nimiam & parum tempestiuam  
 lenitatem erga hominem , qui incestu se contaminauerat , acriter repre-  
 hendisser , ob sincerum studium errata emendandi , illos rursus commen-  
 dat , 2 Cor. VII. 9. sqq. Hinc propter fidem in Christum , quam in  
 mente sua habebant , adpellat istos templum DEI , ac pronuntiat , Spi-  
 ritum DEI in iis habitare .

Quando autem fideles ac pii templum dicuntur , omnino adpellatio  
 haec ad typicum illud templum Hierosolymitanum respicit ac rem ipsam  
 significat , cuius in templo isto a Salomone exstructo erat tantum figura  
 atque imago . Quare si adpellationis huius ratione in adcurate capere  
 velimus , comparatio inter templum typicum ac mysticum instituenda &  
 videndum est , qualis inter virumque sit similitudo , quam in variis de-  
 prehendimus momentis . Ipsum aedificium vbi consideramus , & cum  
 ad

ad illius materiam, quae pretiosissima sane fuit; tum ad structurae rationem, ita comparatam, ut nullus instrumentorum strepitus audiretur; sed omnia apre inter se conuenirent, respicimus, cogitandum est, his adumbratam fuisse & Christianorum, pretioso sanguine Christi redemptorum, summam praestantiam & totius corporis Christi mystici egregiam συμμετέλαν & eam harmoniam, de qua Paullus dicit, ex Christo capere totum eius corpus, veluti templum mysticum, συνεργολογίμενον ηδίσημον βασιλόμενον per omnes commissuras incrementum capere ad aedificationem cuiusque in charitate, ad Eph. IV. 16. Templum illud constabat sancto sanctorum, sancto atque atrio: in sancto, quod & καθ' εξοχὴν templum dicitur, erant altare thymiamatis, candelabrum, mensa: locus illius fuit mons Moria sublimis, muris stupendae altitudinis circumdatus: aderant alia maxima munimenta aduersus hostium impetus: turres item validissimae, quae omnia non mysterio carebant. Habemus in illis varias fidelium imagines: saltim haec ac reliqua momenta ad eorum statum, diuersa dona, diuersos vitae sanctioris gradus, diuersas cultus diuini atque aliorum officiorum partes, etiam ad diuinum praefidium, quo fruuntur, commode & pie applicari possunt. Immo, quod princeps rei huius caput est, quemadmodum DEus singulari ratione praesentiam suam in templo monstrauit; ita in fidelium ac piorum animis est atque habitat, hique hanc ob causam omni iure sunt templum DEI. Hoc modo appellatio haec, qua pii templum vocantur sanctiorem haber rationem; nec est, quod ad istam illustrandam scriptores paganos adhibeamus. Occurrere in eorum libris phrases, illis, quas Spiritus S. de fidelibus, ut templo DEI usurpat, similes, non negandum est. SENECA Epist. XLJ. dicit: *Sacer intra nos Spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum obseruator & custos: hic prout a nobis tractatus est; ita nos ipse tractat. Bonus vir sine DEO nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adiutus, exsurgere? ille dat consilia magnifica & ereta. In unoquoque virorum bonorum (quis DEus, incertum est) habitat DEus.* EPICTETVS apud ARRIANVM Comment. de Epicteti Disputationibus Lib. II. cap. 8. p. 188., quam arcte homo cum DEO sit coniunctus, hunc in modum edisserit, prout in versione leguntur; *An nescis, te DEum alere, DEum exercere, DEum te circumferre miser ignoras? num me argenteum extrinsecus; aut auratum aliquem dicere*

dicere putas? In te ipso fers, teque eum inquinare, non animaduertis, cum impuris cogitationibus; tum sordidis actionibus. Nam DEI quidem simulacro praesente, non auderet, quidquam eorum facere, quae facis; ipse autem DEO intrinsecus praesente, O omnia tum intuente; tum audiente, non verecundaris, eadem cogitare O facere, ignare naturae tuae, O diis inuise? Sed quamvis sententiae eiusmodi, pulcritudinis speciem prae se habent, atque effatis diuinis plane similes videantur: vbi tamen ad id, quod auctores illarum significare voluerunt, animum aduerramus, re ipsa sunt deformes atque a doctrina coelesti longe recedunt. Audiebantur enim praecipue in scholis Stoicorum ac veluti conclusiones principio, quod Philosophi hi propugnabant, innitebantur, mentem humam partem esse essentiae diuinae & totius mundi. Alia loca ex profanis scriptoribus, qui DEum in animis hominum habitare, professi sunt, colegerunt FRID. ADOLPH. LAMPIVS in *Exercit. sacris in Psal. 45. exercit. 7. §. 18. p. 316.*, & IAC. ELSNERVS *Obseru. sacr. To. II. p. 82.* Quod quam absurdum: immo impium sit, quis non videat? acsi ex mente Stoicorum dicatur DEum esse in nobis atque habitare, quis non intelligat, effatum hoc grauissimum in se continere errorem?

Nec fideles tamen generatim templum sunt; sed speciatim *templum Spiritus S.* adpellantur. Postquam enim Apostolus dixerat: *An nescitis, vos DEI esse templum?* addit: οὐ γάρ πνεῦμα τὸ θεὸν ὅμοιόν εἰναι ψυχῇ, vbi obseruandum est, quod heic particula καὶ ad exemplum τὸ Βαβυλωνιaca idem sit, quod latine dixeris *quoniam*, ac Paullus caussam declarare velit, cur Corinthii sint templum DEI, *quoniam* in illis Spiritus S., qui sit verus Deus, habiter. Per πνεῦμα τὸ θεὸν omnino Spiritum S. intelligendum esse, non solum videmus ex aliis locis, in quibus Spiritus S. itidem *Spiritus DEI* vocatur, Matth. III. 16, Rom. VIII. 9. 14, I Cor. II. 14, eam ob caussam, quia a Patre & Filio procedit, hincque ipsem verus Deus est ac simul *Spiritus Christi*, Rom. VIII. 9. *Spiritus filii DEI*, Gal. IV. 6, *spiritus oris Christi*, 2. Thess. 2. 8, dicitur; verum patet id quoque ex capitibus, quae antecedunt. In iis enim Apostolus Spiritus S. tam frequentem mentionem fecit ac significauit, quod ille & in Apostolis & in fidelibus gratiose operetur, vt nunc ex

eo conficiat, Corinthios non posse ignorare, quod templum DEI sunt, quia Spiritus S. in illis habiter atque operetur. Immo cum Paulus in eadem epistola hanc rem repeatat atque expresse pronuntiet: *An ignoratis vestrum corpus templum esse Spiritus Sancti 1 Cor. VI, 19.*? haud obscure indicat, quisnam in priori loco per spiritum DEI sit intelligendus. Reste hoc cognoscendo, veteris ecclesiae patres verba haec ad Spiritum S. retulerunt, atque ex illis diuinitatem eius grauter atque adcurate monstrarunt. Vide IO. CASP. SVICERUS *Thesaur. Eccl. Tom. II. pag. 766.*

**B** Sed quamvis fideles templum sint Spiritus S.; id tamen non ea ratione esse intelligendum, acsi Iolius Spiritus Sancti, exclusis Patre & Filio, templum constituant, res ipsa ac Scriptura S. luculenter docent. Quemadmodum enim habitatio, per quam tale templum et sunt & sunt. opus quoddam est ad extra, vti dicitur; ita competit ista tribus personis in essentia diuina, iisque expresse tribuitur. Quod ad patrem adtrinet, confirmant id verba Seruatoris nostri: *Si quis me amat, inquit, is sermoni meo parebit, eumque pater meus amat, & ad eum veniemus & apud eum manebimus. Ioa. XIV, 23.* in quibus aperte pronuntiatur, quod pater veniat ad fideles atque in illis habiter, ac quidem cum filio per eandem, quam filius ipse ubique docet, et essentiae unitatem, & amoris in opere gratiae unionem. Id tamen quoque sigillatim de filio dicitur, quod sit atque habitet in fidelibus, Rom. VIII, 10. 2 Cor. VI, 16. Gal. II, 20. Ephes. III, 17. quodque ipsi fideles sint οὐκοντες ἡδονὴς domus Christi Ebr. III, 16. Hinc IGNATIVS, *Epistol. ad Ephes. §. XV. p. 37.* id vnicē a Christianis esse agendum, monet, vt sint templum IESV Christi; Πάτερ τὸν ποιῶν, inquit, ως αὐτὸς ἐν ἡμῖν καθοικεῖτος, ἵνα ωμεν αὐτὸς ναοί, καὶ αὐτὸς ἐν ἡμῖν Θεὸς ἡμῶν, omnia ita faciamus, sicuti ipso in nobis habitante; ut illius simus templo, & ipse sit in nobis Deus noster. Nihilominus singulari quoddam modo pii appellantur templum Spiritus S., quia ei specialiori ratione; siue per adpropriationem, vt loqui solent, opus sanctificationis hincque & habitatio tribuitur. Qua ratione vti est auctor vitae spiritualis nosque per regenerationem ac conuerzionem, fidem accendendo, ex statu mortis spiritualis, peccati dominantis atque irae diuinac, ad statum vitae spiritualis et gratiae perducit; ita per sanctificationem &

& renovationem vitam, quam effecit, conseruat ac in nouis incrementis auget, hancque in caussam in animis fidelium, ut in templo suo habitat.

Quale sit ipsum hocce templum, ac quaenam eius condicio, scilicet negotio ex iis, quae adhuc diximus, colligeendum est. Primum est templum *magnificum* & tam *splendidum*, ut licet splendor templi Hierosolymitani magnus fuerit; heic tamen maiorem admirari debeamus magnificentiam. Expendas, quis ille sit, qui in isto sedem suam habeat. Est Spiritus sanctus, verus Deus, ut Apostolus dilecte doceat ac fideles eam ob caussam *templum DEI* appellat, quoniam in illis Spiritus S. habiteret, qvod omnino clarissimum de diuinitate eius testimonium est. Ad quod infringendum omnem quidem ac variam operam Photini et Socini ad seculae adhibent, inter quos IOA. CRELLIVS comment. in I Cor. III, 16. dicit: *ubi diuinus Spiritus habitat, qui est veluti quaedam particula DEI, illic optimo iure Deus habitare dicendus est;* & IONAS SCHLICHTINGIVS comment. in I Cor. III, 16. intelligit per *DEI spiritum*, cuius fideles sint templum, *DEI adflatum*, per quem Deus coelestia sua dona, et sic veluti se ipsum hominibus communicet; sed fruola haec esse atque ita comparata, ut absurdum plurima vel supponant; vel in se contineant: ut expressis Scripturae sacrae verbis aperte repugnant: immo in sumimam *DEI dignitatem* ac *perfectionem* sunt iniuriosa, quis non videat? Expendas porro ipsorum fidelium praestantiam ac dignitatem: videbis, qvod & hi suo splendore templum hoc *splendidum* & *magnificum* efficiant. Splendent illi sua origine, quum ex DEO sint nati Ioa. I, 13. suae vitae spiritualis principio, quod fides est, auro longe pretiosior I Petr. I, 7. Apocal. III, 18; suis munieribus, quae cum Christo, ut sponso suo, quamvis in minori mensura, habent communia, ita ut sint regale sacerdotium I Petr. II, 19. Apoc. I, 6. V, 10. Splendent suis ornamentis ac virtutibus, quum destruxta diaboli imagine, instauratam nunc imaginem *DEI* prae se ferunt ac per illam sapientia, sanctitate & iustitia praediti sunt Eph. IV, 24. Coloss. III, 10. Splendent suis operibus, quae aduersus hostes pugnando, ac gloriosam victoriam consequendo, in Spiritus S. robore efficiunt. Splendent suis bonis, quibus fruuntur; quaeue sunt privilegia filiorum *DEI*: spes haereditatis coelestis: libertas ab ira *DEI*, a maledictione legis, a peccati dominio, a potestate satanae: pax porro & laetitia spiritualis.

At

At vero non solum magnificum; sed *sanc&uum* quoque est templum fidelium, hancque laudem solido ac vario iure sibi vindicat. *Sanctum* est, si ad Spiritum S. respicimus, qui in eo ita habitat, ut non sit otiosus: sed ea semper agat, quae ad maiora vitae spiritualis incrementa spe&stant, cum ad exemplum patrisfamilias aedificium suum conseruat: id magis ac magis exornat, vires spirituales confirmando atque augendo: ac fidelium actiones regendo suum exercet imperium. Hoc enim proprie est habitare, Ephes. III, 17. Coloss. III, 16. Quae sanctiores operationes, quamvis in se spectatae ad animam eiusque facultates pertineant; earum tamen & corpus suo modo particeps fit, hincque illius sanctificationem Scriptura studiose docet 1. Thesi. V, 23. Rom. XII, 1. XIII, 14. 1 Cor. IX, 27. & Paulus expresse dicit: *an ignoratis, vestrum corpus esse templum Sancti Spiritus?* 1 Cor. VI, 19. *Sanctum* itidem est templum hoc propter sanctiorem ipsorum fidelium, qui illud consti&tuent, conditionem. Quemadmodum enim in symbolo Apostolico ecclesiastiam IESu Christi esse sanctam, profitemur, non solum propter doctrinam et leges, quibus illa regitur; sed etiam propter sanctitatem Christi imputatam, ac proprium veritatis studium, adeo, ut hac ratione ενδοξος; itemque μη εχεστα σπιλον, η ρυτιδα, η τι των Ιοιχων dici possit, Ephes. V, 27. ita de singulis illius membris, siue fidelibus idem adfirmandum est. Iure hi sanctitatis laudem tuentur, quoniam caput IESus Christus, omnis peccati ac vitii expers Ebr. VII, 26. illorum est sanctitas 1 Cor. I, 30. quoniam vocati sunt ad sanctum statum, 2. Tim. I, 9. hincque separati a communi peccatorum conditione; ac cultui diuino, qui fit in spiritu ac veritate, consecrati Io. IV, 24. Gal. I, 4. itemque quoniam per gratiam Spiritus S., qui in eorum animis habitat, recte factorum cupiditate omne sanctimoniae studium sectantur Tit. II, 14. Immo templum hoc sanctum est ea quoque sententia, quod non sit violandum. Ita apud gaecos αγιον atque apud latinos scriptores *sanctum* usurpatum de eo, quod non debet violari; atque in primis hac ratione de templis adhibetur. Ex Graecis STRABO Lib. XVI. p. 1110. memorat ιερον απόλλωνος αγιον, templum Apollinis *sanctum*; PLVTARCHVS autem *Quaest. Roman.* To. II. oper. p. 283, coniungit ιερον και αγιον και αστυλον. Inter latinos CICERO in Verrem. lib. IV. cap. 46, de quodam fano Iunonis antiquo dicit: *Tanta religione semper fuisse, ut non modo illis Punicis bellis, quae in his*

fere locis nauali copia gesta atque versata sunt; sed etiam in hac praedominum multitudine semper inuolatum sanctumque fuerit. Eadem ratione & id templum, de quo verba facimus, sanctum est, ita vt illud violare, non liceat. Non licet id, siue ad fideles, qui ipsum templum sunt; siue ad alios respiciamus. Quod ad istos adtinet, Paullus grauiter monet Corinthios, vt caueant, ne templum DEI, quod nunc sint, corruptant; siue quod idem est, violent, dicitque: *Si quis DEI templum corruptip, corruptpet hunc Deus*, 1 Cor. III. 17. Id quod etiam aliis iisque impiis cauendum est, ne fidelibus ullam inferant iniuriam hocque modo templum DEI violent, quoniam eiusmodi iniuria ita reputanda est, aesi ipsi DEO fiat Psal. CV, 15. Zach, II, 8. Genes, XII, 3.

Denique templum hoc est *mysticum*, vbi id ad nostram cognitionem eiusque modum referamus. Rem ipsam certo scimus, quod Spiritus S. in animis fidelium, veluti in templo habitet, quoniam id Scriptura sacra diserte testatur. Scimus quoque ac cognoscimus, Spiritum ita esse in hoc templo, vt non solum sua gratia; verum etiam substantia praeiens existat, quod veteris ecclesiae doctores, cum de habitatione hac loquantur, diligenter monent, Spiritum S., hoc est diuinam ipsam personam ac substantiam in sanctis habitare; nec adesse solam eius gratiam. Ex illis nominamus CYRILLVM Alexandrinum de sancta Trinitate dialog. VII, cuius verba, quae latine tantum recensere liceat, haec sunt: *Templa autem DEI adeoque Dii quamobrem vocamur & sumus?* interroga aduersarios, *vtrum sumus re ipsa nudae & substantia carentis gratiae participes?* At ita res non est: *nullo modo.* *Templa enim sumus existentis & subsistentis spiritus.* Immo nec id sua certitudine caret, in uinione DEI cum fidelibus haud nouam essentiae diuinae fieri adcessio- nem; aut adproximationem, vti loqui solent, quoniam iam Deus omnibus rebus creatis, hincque piis pariter ac impiis hominibus, per immensitatem, essentia sua intime praeiens est. At vero, quamuis haec omnia, nunc a nobis enarrata, sciamus; si tamen de modo diuinae habitationis in animis fidelium quaeras, is tam arcanus tamque sublimis est, vt istum nostra intelligendi facultate neutiquam capere possimus. *Mysterium enim hoc magnum est*, Eph. V. 32, hincque sapienter ac pie agimus, vbi nostram profiteamur ignorantiam, atque ad id studia quaevis

con-

conferamus, vt quam intelligere non licet, rem ipsam sentiendo experiamur, eiusque dignitate pariter ac suavitate semper fruamur. Haec sit vestra, optimi CIVES! in his festis diebus cura & cogitatio, vt quidquid ad templum Spiritus S. conseruandum; vel instaurandum spectat, diligenter ac religiose agatis. Quumque hunc in finem deceat vos, oracula diuina rite legere, interpretationes eorum attente audire, castas ad DEum fundere preces; agite, vt omnia, quae pia ac sautaris sacrorum tam publicorum; quam domesticorum celebratio requirit, per gratiam diuinam praestetis.

---

**P. P. SUB SIGILLO ACADEMICO,  
FERIA I. PENTECOSTES A. R. S. cloccli.**




P. S. AB SIGILLO ACADEMICO  
LITERA RENATI COSTERI A. R. S. C. P. C.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn87671520X/phys\\_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn87671520X/phys_0015)

DFG



eo conficiat, Corinthios non posse ignorare, quod templum, DE quia Spiritus S. in illis habiter atque operetur. Immo cum in eadem epistola hanc rem repeatat atque expresse pronuntiet ignoratis vestrum corpus templum esse Spiritus Sancti i Cor. VI. haud obscure indicat, quisnam in priori loco per spiritum DEI telligendus. Recte hoc cognoscendo, veteris ecclesiae patres haec ad Spiritum S. retulerunt, atque ex illis diuinitatem eius g atque adcurate monstrarunt. Vide, IO. CASP. SVICERUS T Eccl. Tom. II, pag. 766.

Sed quamvis fideles templum sint Spiritus S.; id tamen nomine esse intelligendum, acsi solius Spiritus sancti, exclusis Patre & templum constituant, res ipsa ac Scriptura S. luculenter docent. admodum enim habitatio, per quam tale templum et sunt & sunt quoddam est ad extra, vt dicitur; ita competit ista tribus personis sentia diuina, iisque expresse tribuitur. Quod ad patrem adtrinet, mant id verba Seruatoris nostri: *Si quis me amat, inquit, is sermo parebit, eumque pater meus amat, & ad eum veniemus & apud eum simus, Ioa. XIV., 23.* in quibus aperte pronuntiatur, quod pater ad fideles atque in illis habiter, ac quidem cum filio per eandem, quilius ipse ubique docet, et essentiae unitatem, & amoris in opere unionem. Id tamen quoque sigillatim de filio dicitur, quod si habitet in fidelibus, Rom. VIII., 10. 2 Cor. VI., 16. Gal. I Ephes. III., 17. quodque ipsi fideles sint οὐκοντες ἡς χριστού domus Christi III., 16. Hinc IGNATIVS, Epistol. ad Ephes. S. XV. p. 37. id a Christianis esse agendum, monet, vt sint templum IESV Ο Πάντων εἰς ποιῶμεν, inquit, ὡς αὐτὸς εἰς ἡμῖν καθοικεῖτο, οὐαὶ αὐτοῖς, καὶ αὐτὸς εἰς ἡμῖν Θεός ἡμῶν, omnia ita faciamus, sicuti ipso i habitante; vt illius sumus templo, & ipse sit in nobis Deus noster. I minus singulari quodam modo pii appellantur templum Spiritus S ei specialiori ratione; sive per adpropriationem, vt loqui solent sanctificationis hincque & habitatio tribuitur. Qua ratione vt est vitae spiritualis nosque per regenerationem ac conuerzionem, fiduciendo, ex statu mortis spiritualis, peccati dominantis atque iracundie, ad statum vitae spiritualis et gratiae perducit; ita per sanctificati

